



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

Capvt IV. Quid prædestinationi apud utrosque commune; quid proprium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

illa omnia poterat præstare, si vellet; & Angeli reipsâ volendo præstiterunt, gratiâ non donante ut vellent. Absurdissimum enim putant, quod præter posse credere, & perseverare, si velis, Deus per gratiam potentiorum etiam ipsum credere, & velle, & venire ad gratiam baptismi, & perseverare largiatur. Tam densæ tenebræ sunt, in quas ista cælestis sanctissimi profundissimi que Doctoris doctrina versa atque abstrusa est.

<sup>A</sup> Plures hujusmodi propositiones afferri possent, tum aliunde, tum ex Concilio Araulicano, quas non solum recentiores cum Presbyteris Malliensibus amplexi videntur, sed plerumque deterrius aliquid eis addidisse. Verum ex ijs quas hîc declaravimus, ceteræ penè similes, & in iisdem principijs fundatæ sine difficultate intelligi possunt. Nunc tempus est, ut aliquid etiam de prædestinatione dicamus, quam utriusque machinati sunt.

## CAPVT QVARTVM.

Quid prædestinationi apud utrosque commune;  
quid proprium.

### NOTA LXVI.

*Vnum Dei propositum in duo dividunt, in conditionatum & absolutum. Hoc postremum concipitur post prævisionem fidei & meritum.*

**G**Ratia & prædestinatio pari ferè passu se invicem consequi solent. Ex quo fit, ut quisquis in asserenda gratiâ hallucinetur, vix rectum iter tenere in prædestinatione possit. Itaq; quia gratia Malliensium atque recentiorum istorum, de quibus hæctenus; est prorsus eadem vel simillima; in prædestinationis etiam explicatione consentiunt. Quod paucis ad complementum hujus operis studioso talium rerum Lectori declarandum est.

Et primùm quidem unicum istud decretum Dei, quo homines ex massa perditionis ad æternam beatitudinem per gratiam seu per gratuita merita efficaciter, juxta sancti Doctoris mentem, prædestinantur, Mallienses duritie talis propositi prædestinantis territi in duo partiti sunt: quorum unum esset generale respectu universorum hominum, quos Deus pariter salvos fieri vellet; alterum speciale respectu certorum quibus beatitudinem actu dandam efficaciter decerneret. Illud conditionatum esse statuebant, si & homines vellent, & per ipsos non staret; hoc absolutum. Illud ante omnium operum etiam fidei præscientiam, à Deo, dum solâ misericordiâ lapsus genus humanum reparare vellet, conceptum esse: hoc ex præscientia fidei & meritum. De primo illo generali & conditionato proposito, quod non habet rationem prædestinationis, sed præambuli cujusdam generalis ad redemptorem humanogenesi mittendum, & sufficientem, ut aiunt, gratiam assequendæ beatitudini præparandam, jam supra satis diximus, & summam utrimque convenientiam demonstravimus. Nunc de absoluto aliquid adijciendum est.

Mallienses igitur omnes apertè decernebant, propositum absolutum largiendi cupiam beatitudinè, quod propriè ipsis prædestinatio est, & electio sapius vocatur, nõ nisi ex prævisione, & post prævisionem fidei & meritum, & perseverantiæ in utrisque concipi. Exfertis verbis hæc eorum sententiam Prosper expressit: *Qui autem*

*Prosper. Epist. ad August.*

<sup>A</sup> *credituri sint, quive in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri, præfuisse ante mundi constitutionem Deum; & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono sine excessibus esse præviderit: Sententia ista Malliensium clara & certa est, de qua qui plura velit, legat ea quæ libro octavo de hæresi Pelagiana diximus.*

*Lib. 8. c. 28*

Consentiunt ad amissim recentiores. Horrent enim velut mortem, quod Deus proposito suo efficaci perducendi quempiam ad regnum suum, præscientiam fidei ipsius, & operum, & perseverantiæ anteverteret. Itaque ex professo vitam Malliensium doctrinam tradunt, & mordicus tenent. *Deus non stansit*, inquit Lessius, *absoluto decreto ante prævisionem operum aut finalis status, deus, qui sint salvandi, aut damnandi.* Et in illa sectione crebrò repetit, in potestate hominis esse, ut sua prædestinatio compleatur, hoc est, ut Deus eum ad vitam æternam efficaciter eligat: nempe quia, ut explicat, efficere potest sua liberâ voluntate, ut Deus prævideat conditionem, quæ ex parte hominis requiritur, fidem scilicet, & opera bona, & perseverantiam. Idem Molina, idem Vasquez, idem Valentia ut certum tradunt.

*Ess. de prævio decreto ante prævisionem operum aut finalis status, deus, qui sint salvandi, aut damnandi. num. 73.*

### NOTA LXVII.

*Illæ fides & merita cum adiutorio gratiæ comparanda sunt.*

**N**Ec tamen Mallienses ita crudè istud intelligebant, quasi vel fides, vel opera, vel in utrisque perseverantia, tanquam puris naturæ viribus à se proferenda præscirentur à Deo; vel propter merita & perseverantiam purè humana, tanquam sine ullo gratiæ adiutorio comparata, eligerentur ad regnum Dei: sed sensus eorum erat, quod propter fidem & merita cum adiutorio gratiæ comparata ad æternam vitam eligerentur. Nam ideo expresse dicit eos tenuisse Prosper, quod qui in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri sint, præfuisse ante mundi constitutionem Deum, & omnes eos prædestinasse, quos bono sine excessibus esse præviderit. Nam bono sine, nihil aliud est, quàm in bonis operibus per Spiritus sancti gratiam proferendis. Quod idem Prosper declarat evidentiùs, quando eos sentire tradit, quod ob hoc Deus alios vasa In Epist. ad honoris August.

*In Epist. ad honoris August.*

Epist. in  
Epist. ad  
ad Aug.

bonoris. alios contumelia fecerit, quia finem cuiuscumque praevident, & sub ipsa gratia adiutorio in qua futurus esset voluntate, & actione, praesciunt. Ex errore S. Augustini ante Episcopatum id ipsum liquet. Sentiebat enim, quod quem Deus crediturum esse praesciverat, ipsum eligeret, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam aeternam consequeretur. Quae Augustini verba ab Hilario relate Massilienses se acceptare testantur.

5. parte dist.  
37. c. 5.

Arripuerunt eandem doctrinam recentiores. Notorium est enim hanc eorum esse sententiam, quod eos Deus, eligat ad regnum suum, quos & credituros, & bene victuros cum adiutorio gratiae Dei, & sub eodem adiutorio gratiae bono sine excessibus esse praevident. Quod fit ut Vasquez planissimis verbis dicat, non errasse hac in re, & recte scripsisse Semi-Pelagianos. Nimirum, ne si errassent, ipsum quoque errasse sequeretur.

NOTA LXVIII.

Discrimen, quod Massilienses veram Christi gratiam intelligerent; recentiores non.

Epist. ad  
Aug.

**I**N uno tamen à recentioribus Massilienses discrepant: quod hi fidem & perseverantiam in eadem fide cum solo adiutorio gratiae primi hominis sine quo non, & per liberum arbitrium asserri posse contenderent; opera vero per veram Christi gratiam, seu per Spiritum sanctum, ut Augustinus in eorum errore positus loquebatur, sibi donanda faterentur. Hoc est enim illud quod dicunt, sub adiutorio gratiae: item: quae deinceps per gratiam fit iuvanda. Intelligunt enim illam veram & medicinalem Christi Salvatoris gratiam, quam Scriptura, & Ecclesia, & Augustinus praedicabant: eod quod palam se abominari & damnare testarentur, si quis quoquam virum in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progressi pisset, existimaret.

Recentiores è contrario nec istam quidem gratiam ad ullum opus bonum admittere volunt; sed sola illa gratia sine qua non, seu potentiali, & sufficiente contenti, qua Massilienses tantummodo credere posse celesabant, se satis liberos, & sanos, & potentes putant, ad efficienda qualibet opera quantumcumque difficilia. Atque ideo illos ad regnum eligi putant, quos Deus per liberum arbitrium credituros, & per liberum arbitrium operaturos, & per liberum arbitrium perseveraturos esse praesciverit. Nam illud adiutorium gratiae sine quo non, nullo pacto impedit, quo minus opera quae per liberum arbitrium eo concurrente producuntur, sint merita humana, & liberi arbitrii; non divinae gratiae aut sancti Spiritus munera quae credentibus donet.

NOTA LXIX.

Utrisque praedestinatio completa est ex praesentia fidei, & meritum.

In Epist. ad  
Hilar.

**E**X istis principiis Massilienses inferebant, praedestinationem completam ad regnum Dei esse ex praesentia: nempe fidei & meritum. Attestatur eis Prosper, dum indicat eos propositum & praedestinationem secundum praesentiam recepisse.

Non dissententur hoc ipsum de se isti recentio-

**A** res: sed tanquam capitalem sui dogmatis sententiam tradunt.

NOTA LXX.

Praedestinatio utriusque retributio.

**H**inc ulterius Massilienses non aliud praedestinationem esse sentiebant, quam retributionem, hoc est, non esse gratuitam voluntatem Dei, liberandi hominem: sed voluntatem retribuendi ei debitam mercedem: ut quemadmodum in tempore regni Dei assignatio non erat nisi pura merces meritum, non gratia Dei; ita & in praesentia, praedestinatio non esset aliud nisi talis mercedis retributio. Designat hoc Prosper. cum exposita Genensibus ista praedestinationis naturam dicit: *Ut ipsa Electorum praedestinatio non sit nisi retributio.* Et evidenter Faustus: *Praesentia itaque generanda praesciunt, postmodum praedestinatio retribuenda praescribit.* Illa praevidet merita; haec praordinat praemia. Praesentia ad potentiam; praedestinatio ad iustitiam pertinet. Praesentia de alieno subsistit actu, praedestinatio autem de iudicio suo &c. Ac si nisi praesentia exploraverit, praedestinatio nihil decernit.

**C**oguntur, velint nolint, idem ipsum sentire recentiores. Nam quia sentiunt, non Deum per adiutorium quo efficiere ut homines velint, credant, operentur, & perseverent; sed haec omnia humana (quamvis non sine adiutorio sine quo non) voluntate proferri: hinc necesse est, ut tota eorum praedestinatio, non sit aliud quam pura retributio. Quisquis enim vel fidem, vel opera, vel perseverantiam humanae libertati etiam sub & cum talis gratiae adiutorio tribuit, omnem gratuitam praedestinationem radicibus tollit. Nihil enim relinquit, ratione ejus proprie & specialiter gratuita esse possit, neque formaliter neque in radice. Non formaliter, quia sic est actus iustitiae, qua meritis merces condigna retribuitur: quod neque recentiores isti negant. Non in radice, quia gratia illa primi hominis seu habitualis, seu sufficiens, seu congrua, seu quocumque nomine appellaveris, non tribuit ullo modo merita seu opera bona, aut perseverantiam, sed est adiutorium gratiae tantummodo sine quo non, tribuens voluntati posse si velit; velle autem, & consentire, & operari, & perseverare in quo solum & proprie meritum situm est, ab ipsa hominis voluntate, non à tali adiutorio gratiae, expectandum est. Nam inde phrasae istae recentiorum aperitissima: *Deus expectat consensum voluntati, cuius usui subest gratia, ita ut haec successiva gratia in actu secundo ab usu voluntatis quodammodo pendeat.* Vbi hoc adiutorium praeviens dedit, non omnino expectat, ut cooperentur suae gratiae. Expectat, ut faciant bona opera, alias regnum suum non daturus. Totum velimus nostra libertati, ut consentiamus. Quod alibi declarat: *comparatione habitum & concursus Dei: habitum voluntatis, & auxilium praeviens solum expectant, ut potentia voluntatis suum influxum in actum cooperat.* Simili modo ut Deus concursus suum conferat, expectat concursum liberi arbitrii. Quae manifestissime declarant, quantumcumque magna gratia istius ordinis & operationis ad credendum, ad operandum, ad perseverandum conferatur, nihil omnino esse in ista gratia, sicut nec in ipsa potentia liberi arbitrii,

In resp. ad S.  
dubium Ge-  
nerens.  
Faust. lib. 1.  
cap. 3.

Et si de grat.  
est haec. 18.  
p. 1.

Cap. 12. n. 1.  
Ibid.

Ibid. c. 1. n. 10

vel in habitu fidei, aut charitatis, quo prædestinatus à reprobato, eligendus ad regnum caelorum ab excludendo differat: sed primam differentiam fieri per liberum flexum (non sine gratia) humanae voluntatis: Et in illo esse meritum, propter quod ad regnum prædestinatur, aut eligatur. Vnde impossibile est, ut ista prædestinatio aut electio sit specialiter gratuita: sed mera, & propriè dicta merces humanorum est meritum. Quod qui plenius intelligere desiderat, legat ea quæ de merito & præmio primi hominis & Angelorû disputavimus. Hoc vero ita Massiliensibus perspicuum fuit, ut quamvis & fidem cum gratia Adams à se proferri, & opera per veram Christi gratiam à Deo sibi conferri fateantur, quia tamen suum, non gratia esse sentiebant, quod actu suâ libertate crederent, & in eadem fide suâ libertate persisterent, non gratiâ ut actu crederent & persisterent, sibi largiente, nunquam tamen ausi sunt fidem, vel perseverantiam in fide donum Dei, vel electionem ad regnum prorsus gratuitam profiteri. Quis enim nisi insipientis, qui nesciat quid loquatur aut de quibus affirmet, non statim advertat, non illius esse victoriam, qui militi equum, & arma, vel ipsam potentiam voluntatis dedit, quibus ignavi vel non utuntur vel abutuntur; sed illius qui strenuè pugnam armis istis adjutus capessivit, & hostem stravit? Illius ergo meritum est, illius præmium: quod ei nihil est aliud, quam merces meriti, non speciale gratia donum.

## NOTA LXXI.

*Discrimen, quòd aliquid gratuiti involveret Massiliensium electio ad regnum: recentiorum nihil omnino.*

**I**N uno tamen aliquid est discriminis, quod Massilienses aliquid fateri in prædestinatione completa cogentur, quatenus operum bonorum merita, etsi non fidem, per veram Christi gratiam sibi donari sentiebant. Quod Christi adiutorium cum recentiores prorsus abijciant, nihil gratuiti in prædestinatione agnoscant, necesse est.

## NOTA LXXII.

*Numerus Electorum non est eis definitus ex voluntate, & prædestinatione Dei.*

**E**X isto igitur capite proficiscitur, quòd Massilienses omnino fateri nollent definitum esse ex voluntate Dei certum ac prædestinatum electorum numerum, qui nec augeri posset nec minui. Quod eos de numero illo non ex Dei præsentia, sed ex ejus voluntate & constitutione humanam præveniente voluntatem definito intelligere, perspicuè ex eorum principijs & verbis demonstravimus.

Toto corde & ore hoc ipsum recentiores isti clamant. Audi Lessium ceteris animosiorum: Si numerus salvandorum, qui nec augeri nec minui potest, nullo operum vel laborum nostrorum habito respectu, immutabiliter est definitus, &c., perspicuum esse putant, tolli

*Prosper. in Epist. ad Aug.*

*Vide lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 22.*

*Less. in præf. lib. de præd. & reprob.*

**A** omnem sollicitudinem rectè vivendi. Et quare tandem? Respondet: Quia si illo numero es comprehensus, nulla incuria facies, ut excidat: si non es comprehensus, nulla sollicitudo iuvabit te intrare. Et alibi: Si non sum de numero sic electorum, frustra præcepta servo &c. Omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo salvatur. Et aliquot sektionibus interpositis: Nullum ex parte sua certum numerum definit, neminem exclusit. Et mox iterum: Facessat ista imaginatio &c. Nonne Massiliensium audire tibi videris voces, quibus virtutes tolli dicebant, si Dei constitutio humana præveniat voluntates? Quibus superfluum laborem jaçitabant, si neque reiectus à tali numero, ullâ industriâ posset intrare, neque electus ullâ negligentia posset excidere? Quibus molestissimè se ferre testabantur, quod, quoquo modo se ogerint, non possit aliud erga eos, quam Deus definitus, accidere? Quibus partes constitui nolebant, quibus nec adiciendum sit aliquid, nec detrahendum, ut de alijs ad alios nullus possit accedere. Nam ipsi prædestinationem & electionem secundum præsentiam Dei ex præsentia non solùm absolutâ, sed etiam conditionatâ integerrimè fatebantur; prout ex præcedentibus liquere potest, & nos alibi latius explicuimus.

*Ibid. sect. 2. n. 14.*

*sect. 6. n. 81.*

*Prosper. & Prosper. in Epist. ad August.*

*Vide lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 22.*

## NOTA LXXIII.

*Prædestinationum errorem utriusque impingunt adversarius suos.*

**D**enique cum durissima Massiliensibus Augustini & Prosperi sententia videretur, Prædestinationum hæresin eis impudentè impigerunt: quod ex objectionibus Gallorum, sed maxime Vincentianis perspicue patet. Nam hæresin istam plerisque modernis Scriptoribus commemoratam non aliud esse nisi eorumque Massiliensium, quibus Augustinus, & Prosper, & Augustiniana doctrine sectatores appetiti sunt, fuscè & clarè, quantum arbitror, à nobis demonstratum est, cum de Semi-Pelagiana hæresi tractassemus.

*Ibid. c. ult.*

Nec in hoc recentiores à Massiliensibus dissimiles esse voluerunt. Totis enim quibus possunt viribus, erroris istius invidiam doctrinæ aeternius patronis affricant. Nam quid est aliud illa doctrina, quæ prædestinationis prædicatione tollit ab homine liberam arbitrium, fato humanam vitam premit, barathrum desperationis aperit, sollicitudinem aufert vitæ bonæ, exhortationes, correptiones, præcepta, consilia, merita, præmia è medio tollit; denique quæ Deo cum Calvino ascribit peccata reprobatorum, quàm error, & hæresis Prædestinatio? Nam hæc & hujusmodi Prædestinatio tribuuntur, & Augustino à Massiliensibus impacta sunt: quorum vestigia usque ad ipsas calumnias, quas ipsi veritatem esse sincerè putant, sibi terenda judicant. Hinc est illud planissimum Gregorij de Valentia, quo Prædestinationum errorem ex ista sententia prædestinationis consequi supra dicentem audivimus.

*Vide supra, nota 15.*

## CAP V T